

LUNÆ DIE 16 M. APRILIS A. 2001

A.d. XVI Kal. Maias a. MMI



IOI

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANÆ CURAQUE FUNDATIONIS MELISSÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0)2 735.04.08. / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

QVO VADIS, INSTITVTIO LATINA ?

Mense Februario, occasione hornotini conventus consociationis eorum magistrorum, qui in Belgicæ parte Francophona linguam Latinam et Græcam docent (*Fédération des Professeurs de Grec et de Latin*), ad acroasin faciendam invitata est Anna Armand, Francogalla inspectrix pædagogica in regione Academiæ Namnetensis (v. Nantes) ; quæ titulum doctoris litterarum habet atque aggregationem in provincia litterarum classicarum. Anno 1997 librum in lucem edidit de « Didactica linguarum antiquarum » (*Didactique des Langues anciennes*, Paris, ed. Bertrand-Lacoste). ¶ In quo libro imprimis laudat relicationem translationis e Francogallico in Latinum, quam relicationem habet ut studiorum « revolutionem Copernicanam » ! Talibus conditionibus nihil boni exspectandum erat ex eius acroasi, cui titulus fuit « Cur et quomodo linguae antiquæ hodie sint tractandæ », et re vera imprimis dixit earum institutionem scholarem in Francogallia multo magis iacere quam in Belgica. Ea, quæ deinde proposuit ad institutionem Latinam novis Francogallici regiminis iussis aptandam, vix scitu digna sunt ; nihil enim valent contra politicorum voluntatem, qui iam diu linguae Latinæ sunt vehementer infesti. ¶ Argumenta in quibus nititur hæc repudiatio bene ostenduntur in fasciculo n. 246 periodici « L’Histoire », mense Septembri anni 2000 edito, ubi Francisca Waquet symbolam proponit c.t. « *Requiem pour le latin* ». Lingua enim Latina in Francogallia solum habetur ut lingua Ecclesiæ Catholicæ Romanæ ; itaque ei studere significat esse in dizione Papæ ! Sed, si hoc esset verum, nemo apud protestantes linguae Latinæ studeret, quæ eis iam diu non sit religionis lingua. ¶ Alterum argumentum in eo nititur, quod Latine discere insigne est burgensium classis socialis, necnon instrumentum « élitismi », quem vocant. Hoc etiam est omnino falsum. Longe enim abest ut discipuli locupletioribus parentibus nati sint optimi. Præterea non est causa cur in scholari institutione non fiat frugifera selectio, quæ fieri solet, exempli gratia, in rebus athleticis. ¶ Sed satis est de ærumnis pendentibus ab institutionis monopolio, quod regimen sibi arrogavit. Magistri plerique sunt regimini functionarii et nulla libertas eis conceditur in docendo. ¶ Restat ut cives periculi sibi consciæ adhibeant ius oppressioni resistendi (quod inscriptum est in articulo secundo Declarationis iurum hominis Francogallica). Respiciendum est ius parentum, quod est suos liberos secundum suam opinionem docere atque educare. ¶ Nonnulli libri recenter editi vehementer impugnant Publicæ Educationis administratiōnem :

Le droit de choisir l’école, une question de justice
(*Ius scholæ eligendæ pertinet ad iustitiam*), auctoribus J.D. Nordmann et A. Fernandez, ed. L’âge d’homme.

La famille est l’avenir de l’école
(*In familia nititur scholæ futurum*), auctore G. Kueny, ed. François Xavier de Guibert.

Ibi legitur Educationem Nationalem pueros non doce-re, sed « socializare », ut a familia segregentur. Schola « revolutionem culturalem » init, qua futurorum civium mentes fiant uniformes necnon tractabiles. ¶ Scitu dignum est « Organizationem internationalem institutionis libertatem foventem » Genavæ sedem habere, quæ rei publicæ monopolium eiusque unifor-mitatem methodorum programmatumque oppugnat. Nam, sine scholarum æmulatione, educationis systema-ta neque inter se comparari neque perpendi possunt. ¶ Fama fert novum Foederatarum Civitatum Americæ Septentrionalis præsidem, Georgium Bush, ipsis parentibus et iam non scholis æs publicum distribuere velle, quo maioris ponderis fiat eorum sententia in institu-tione scholari. Venietne exemplum ex America ? Non publico sed privato impulsu habebitur mense Maio Lutetiae Parisiorum conventus Latinitati vivæ fovendæ ; a nobis petitum est ut eum nuntiaremus : Colloquium « *Le Latin, tradition vivante* », Saturni die 19 m. Maii a. 2001 (9-18 h.), in devorsorio Sofitel-Saint Jacques, 17, Boulevard Saint Jacques, Paris XIV. Inter oratores numeratur Professor Iohannes H. Ørberg, cuius methodus c.t. « *Lingua Latina per se illustrata* » in discipulis docendis est miræ efficacitatis. Ei, qui hunc conventum participare cupiunt, scribant ad associationem c.n. « Association Catholique des Professeurs de Lettres » 18, rue Saint-Jacques, F-91410 Dourdan, tel. + 33 1 60 81 92 80. ■■■

Gaius LICOPPE

DE VENENIS BREVIS HISTORIA (IV)

- *conscripta a Gaio Licoppe* -

ABSINTHIIUM est planta aromatica generis Artemisiæ, quæ iam a Plinio nota erat. Legimus enim apud eum hæc : « Absinthii genera plura sunt : Santonicum appellatur e Galliæ civitate, Ponticum e Ponto, ubi pecora pinguescunt illo et ob id sine felle reperiuntur... De usu eius convenit, herbae facillimæ atque inter paucas utilissimæ, præterea sacris populi Romani celebratae peculiariter, siquidem Latinarum feris quadrigæ certant in Capitolio victorque absinthium bibit... Stomachum corroborat et ob hoc sapor eius in vina transfertur... » (Plin. 27,28).

Antiqui ergo absinthium cum vino iam commiscebant. Ineunte XIX. sæculo absinthii foliorum destillatio fieri cœpta est, unde nascebatur alcohol viride, quod plurimis tantum placuit, ut appellaretur « *fata viridis* » (« *la fée verte* » in Francogallia).

Absinthium autem continet oleum essentiale camphoræ propinquum, a chemicis thuyonum vocatum, quod sistema nervosum vehementer excitat. Ei, qui cottidie alcohol cum absinthio sorbillant, crises convulsivas pati solent. Ob hanc nocivitatem XIX. sæculo ver gente absinthii usus factus est lues socialis. Pernotii pictoris Vincentii Van Gogh valetudo, exempli gratia, absinthii abusu tantum deteriorata est, ut in phrenocormio curari deberet ; paulo post, cum nondum quadragenarius esset, se ipsum occidit.

Tandem anno 1915 in Francogallia absinthii venditio definitive prohibita est.

ÆTHER sulphuricus inter venena volatilia notior est. Certe apud Plinium non invenitur ; est enim productum recentioris scientiæ chemicæ, quod XVIII. sæculo vocabatur spiritus æthereus (G. Frobenius 1730).



Sæculo XIX. æther usum medicinalem habebat ; nam in pulmone haustus anæsthesiam inducit ; nonnullæ eius guttæ absorptæ spasmata sedant, sed maior quantitas inducit quoddam ebrietatis genus, quod nimis multi homines delectationis causa exquisiverunt. Inter hos ætheromaniacos numerabatur clarus scriptor Francogallus Vido (*Guy*) de Maupassant.

Hodie vix quisquam æthera adhibet ad usum psychotropicum, sed sunt aliaæ substantiæ volatiles, acetonum præsertim, quæ quendam effectum psychotropicum habeant; cum contineantur in glutinis ubicumque vili pretio divenditis, pauperes præsertim, quin etiam derricki pueri in America meridionali, his toxicis substaniis oblivionem suæ miserabilis vitæ quærunt.

CATHUM est arbuscula quæ quandam similitudinem habet cum queru viridi ; crescit in frigidioribus vallisbus Æthiopiæ, Somalia et Arabiæ Felicis (v. *Yemen*). In eius foliis nascuntur complura alcaloida, quorum præcipuum, cathinum vocatum, fere eundem effectum psychotropicum habet ac amphetamine, de quibus supra iam tractavi.

Foliorum cathi masticatio gignit quandam euphoricam animi stimulationem, qua sensus famis et lassitudinis tollitur. Fama Africana etiam fert cathum habere effectum aphrodisiacum, id quod re vera non est. In Africa præcipue septentrionali et orientali tanta est multitudo hominum catho additorum, ut facta sit lues socialis.

TABACUM egregium tenet locum inter omnes incognitas res, quæ in Nova Continente XVI. sæculo inventæ sunt et in Europam importatæ. Prima huius plantæ mentio invenitur in Christophori Columbi diario nautico. Is enim in pagina diei 13 m. Octobris anni 1492 notat indigenas quædam folia exsiccatæ sibi dono dedisse ; in pagina diei 6 m. Novembri eiusdem anni, Columbus narrat se duos comites in insulam Cubam misisse exploraturos atque eos ibi viros indigenas vidisse volumina foliorum exsiccatorum manu tenentes, quorum unam extremitatem accendebant ut ex altera fumum in pulmones haurirent. Hanc consuetudinem accuratius describit Bartholomæus de las Casas (1474-1566) in libro c.t. « *Apologetica historia de las Indias* » a. 1527 Hispali edito.

Medio XVI. sæculo vocabulum Hispanicum « *tabacco* » est in usu ; quod deductum est a vocabulo « *tsibatl* » Indianorum Arawak, qui insulam Hispaniolam

*Christophorus Columbus in Americanam adveniens.
Imago Francofurti impressa a. 1594.*



*Sacerdos Maya
fumificans.
Imago anaglypta
in templo urbis
Mexicanae
Palenque,
VI.-VII. saec.*

(v. *Haïti*) tunc incolebant. Forma Hispanici vocabuli a nomine vicinæ insulæ *Tobago* vocatæ etiam videtur pendere.

Apud Indianos, tempore quo America ab Europæis inventa est, usus tabaci tam late iam erat diffusus, ut vix repperiri posset e qua Novæ Continentis parte planta tabaci oriunda esset. Veterima imago nota, ubi tabaci usus appetet, inventa est in Iucatania in Mayarum oppido *Palenque* (VI. vel VII. sæc. p.C.n.).

Indianis septentrionales etiam usque ad Canadam tabacum noverant, cuius usum a Mayis videntur didicisse. Non eodem modo ubicumque Americæ tabacum adhibebatur. Americæ meridionalis indigenæ non fumificant; alii potius naso tabaci pulverem hauriebant, alii tabaci folia ut cocæ folia masticabant, alii pauciores tabaci ius sugebant vel tabaci macerationem bibeant. Tabacum magni momenti erat in ritibus religiosis.

Quis nostrum non recordatur « *calatum pacis* » quem phylarchi unus post alterum fumificant ad pacem pangendam?

Tabacum in Europa innotuit per viatorum narrationes, « *De insularum ritibus* » (1497) auctore Hispano eremita Raimundo Pane et præsertim « *Historia general de las Indias* » (Hispali 1535) a Gunsalvo Fernandez de Oviedo y Valdes conscripta.

Primus omnium, qui in Europa tabacum fumavit, videatur esse Rodericus de Jerez, unus e Christophori Columbi comitibus. Hoc tamen facinus ei non profuit. Nam, cum in oppidum suum natale revertisset et in

publico fumavisset, concives ex eius ore et naso fumum exhalari viderunt obstupefacti et eum a diabolo possessum esse putaverunt; quam ob rem Inquisidores eum in carcerem statim coniecerunt!

Circa medium XVI. sæculum nonnulli tabacum in Europa colere cœperunt, sicut Franciscus Hernandez, privatus medicus Hispaniæ regis Philippi II. In Francogalliam tabacum importatum est ex alia regione Americæ ac in Hispaniam. Nam Andreas Thevet anno 1556 ex Brasilia in Francogalliam secum attulit semina tabaci; ipse tamen eius usum non introduxit. Hoc fecit Iohannes Nicot, qui, cum in Portugallia legatus esset regis Francogalliæ Francisci II., medicinales tabaci virtutes laudari audivit. Quare in Francogalliam redux tabaci usum introduxit in aulam Catharinæ de Medicis.

In Francogallia, tunc temporis et usque XVII. sæculum, non adhibebatur vocabulum « tabacum », sed vocabulum « *petun* », quod deductum est e vocabulis « *petyma* » vel « *petyn* » quorundam Indianorum Brasiliæ. Præterea tabacum diu vocatum est « herba Nicotiana » etiam extra Francogalliam.

Valde mirum est quod, vix centum et viginti annis post rem a Christophoro Columbo primum observatam, tabaci usus per totum orbem terrarum fere apud omnes gentes manavit. Imprimis acceptum propter virtutes medicinales quæ ei tribuebantur, tabacum adhibebatur præsertim delectationis causa, ut patet ex his Dani poetæ Pauli M. Pistoris versibus¹:



Iohannes Nicot (1530-1600)

*Te ad cœlum effero
herbula tam rara !
Tu ocellis virginum
dulcior amara !
Quantum inter sidera
micat luna clara,
tantum inter lilia
fulges mibi cara.*

*Virginum perfidia
turbat sæpe mentes,
rapta quin puellula
armat totas gentes.
Pipæ numquam deserunt ;
ori adbærentes
in æternis osculis
manent inter dentes.*

*Vidi sæpe socios
fortiter potantes,
at, pro dolor ! singulos
valde titubantes.
Petum nulli eructant,
nisi sint infantes ;
ducunt centum fistulas
firmo pede stantes.*

Non solum fuerunt tabaci laudatores, sed etiam vehementes detrectatores, quorum auctoritate tabaci usus sæpe et apud multas gentes vetitus est, sed frustra, præsertim cum regentes intellexissent quantum quæstum facere possent e vectigalibus tabaci venditioni impositis.

Maturius quam alibi tabaci usus per regnum Britannicum diffusus est. Clarus explorator Valtherus Raleigh a. 1584 coloniam deduxit in litus orientale Americæ septentrionalis, quæ vocata est Virginia. Ibi coloni ab indigenis consuetudinem acceperunt tabacum pipa fumandi, quam consuetudinem in patriam attulerunt. Eo accedit quod multi Elisabethæ I. subiecti libenter imitati sunt exemplum eius aulæ, in quam Valtherus Raleigh tabaci usum introduxerat.

Successor vero Elisabethæ I., rex Iacobus I., eadem mansuetudine non fuit, sed inter vehementissimos tabaci inimicos numeratur, ut patet ex eius ipsius verbis :


« Tandem, igitur, o cives, si quis pudor, rem insanam abicite, ortam ex ignominia, receptam errore, frequenter tam stultitia : unde et ira Numinis accenditur, corporis sanitas atteritur, res familiaris arroditur, dignitas gentis

senescit domi, vilescit foris : rem visu turpem, olfactu insuavem, cerebro noxiā, pulmonib⁹ damnosam : et si dicere liceat atri fumi nebulis tartareos vapores proxime repræsentantem. »

In Europa omnes modi, quibus Indiani tabaco utebantur, in usu etiam fuerunt : masticare, in nares haurire, pipam, sigarum, sigarellum fumare. Singuli ex his usibus certis temporibus vel certis regionibus plus minusve æstimabantur ; nostris tamen temporibus ubique excellit sigarellum.

Saeculo XIX. chemistæ e tabaco (vel herba Nicotiana) extrahere valuerunt substantiam, a qua præcipue pendet eius effectus. Carolus Ludovicus Reimann et Vilhelmus Henricus Posselt, in studiorum universitate Heidelbergensi laborantes, huius substantiæ extra-hendæ methodum chemicam anno 1828 divulgaverunt in opusculo Latine conscripto c.t. « *De Nicotiniana, respectu ad chemiam et physiologiam habito* ». Hanc substantiam vocaverunt nicotinum...

Hæc brevis et necessario incompleta venenorum historia hic concluditur. Substantiæ psychotropicæ omni ævo et ubique terrarum ab hominibus avide exquisitæ sunt. Nonnullæ fuerunt salutares, sed pleræque multos homines induxerunt ad insaniam. Hac insanendi facultate homines fortasse ab ordinatis maxime differunt... ☣



Instrumentum vaporarium ad bauriendum tabacum. XVII saec.

1. Versus Pauli M. Pistoris (c.a. MDCCCXXX), sicut textus Latinus orationis Iacobi I. paulo infra citatae, per interrete ad Gregem Latine loquentium mense Junio a. 2000 missi sunt, illi a Iono Willen, hic a Dionysio Wood.

DE RE PVBLICA ADYGEIA

- *scripsit Sergius Kalegin -*

Caucasum antiquitus habitabant varii populi. Ibi erant oppida Græca, illuc advenerunt multæ gentes bellatorum.

De Caucaso exstant multæ fabulæ (Æa, Prometheus), sed hodie æquales nostri de hac regione pauca sciunt. Aliquid ergo narrabo¹.

Nostris temporibus Caucasus divisus est in multis res publicas; ego tamen de una solum tractabo, quæ vocatur Adygeia. Quæ haud procul a Ponto Euxino in Russia meridionali sita est. Natura ibi valde diversa est: sunt alti montes et citi rivi, sed etiam ample planities et quieta flumina, agri necnon silvæ densæ; cæli temperies mollis calidaque est; æris temperatura hieme oscillat inter quinque gradus (Celsii) infra zerum et viginti quinque supra zerum, sed æstivo tempore nonnumquam ascendit usque quadraginta quatuor gradus. His condicionibus prosperis agricultura floret; coluntur vitis, frumentum, citra, pepones et cetera.

Antiquitus Adygi hanc regionem incolebant. In Slavicis fabulis narratur Kasogos (gentiles Adygorum) partem Slavicarum copiarum fuisse et cum Slavis bellum gessisse.

Sæculis XIX et XX regio Caucasia a Russis capta est; deinde, anno MCMXXII, res publica Adygeia condita est. Eius superficies nunc est septem milium quadratorum chiliometrorum et octingentorum; ibi vitam degunt circiter quadringenta quinquaginta milia incolarum. Urbs caput *Maikop* nomine circiter centum octoginta milia habitantium habet. Sita est in loco amœno sub montibus apud flumen Beliam (i.e. Alba). Hoc flumen e montibus altis profluit, cursum pergit per agros prataque et aqua irrigat multa oppida villasque rusticæ. Maikopa sita est in regione rurum; permulti viculi ibi sunt, quorum maximus vocatur « stanitsa (rus Kasacum) Chanskaja » et duodecim chiliometris abest a Maikopa. Qui viculus viginti milia incolarum habet; eius superficies est circiter octoginta quadratorum chiliometro-

rum. Patet etiam secundum Beliaæ ripam in pulchro loco intra montes planitiesque; latis campis cinctus est. Chanskaiæ incolæ laborant in agris vel in fabricis, quæ proximæ et ruribus et urbi sunt. Suam quisque habet domum et hortum proprium; varias plantas colunt, sicut tomatas, poma terrestria, cucumeres et cetera.


In Adygeia sunt variæ scholæ studiorumque instituta; Maikopæ sunt circiter viginti scholæ, quarum una dimidia pars spectat ad artium studium et altera ad studia superiora, quæ constant e variis disciplinis; fieri potes, exempli gratia, magister scholæ, linguarum extranearum professor, ingeniarius, medicus, etc. Exstat etiam institutum ubi solum linguaæ Russica, Adygeia, Theodisca, Francogallica et aliæ traduntur. Linguaæ Latinæ student inter alios medici, iurisperiti, linguarum periti in institutis superioribus vel in schola professionali medicorum.

Itaque de Adygeia paucis narravi, sed si quis de ea Russiaque vult plura scire, quæso, scribite mihi Latine aut Italice, Francogallice, Hispanice, Lusitanice, Theodisce, Polonice, Esperantice; libenter omnibus respondebo.

Linguaæ Latinæ ipse paucos menses studui et statim post commercium epistularum incohavi. Nunc linguam Latinam in studiorum universitate disco. Etiam linguaæ Græcæ antiquæ, Hebrææ, Nederlandicæ et aliis studeo, quia linguas amo.

Lingua in usu in Adygeia est huius regionis propria; pertinet ad stirpem Abchaso-Adygarum linguarum (est stirps Caucasea) et ab Europæ linguis valde differt. Paucas dialectos habet. Nunc Adygi litteris Russicis utuntur. ■

1. Sergius Kalegin e longinqua Russia vobiscum libenter iunget commercium epistolare, si placuerit; haec est eius inscriptio cursualis: Sergius Kalegin, str. Gorkogo 28, rus Chanskaja, Majkop, Adygeja 385060 - Russia.



DE POLO MYSTICO

- *scripsit Franciscus Molina Morenus* -

Postquam¹ recentibus annis græcam fabulam de Hyperboreis eiusque vestigia apud latinas litteras medii ævi pervestigavimus, id nobis re vera fundamentum esse eius fabulæ visum est, quod indolem sacram poli cælestis borealis appellare constituimus.

Hyperborea gens enim sub polo ipso cælesti habitare credebatur², et scriptores mediæ latinitatis, quamvis raro de Hyperboreis locuti sunt, tamen polum cælestem borealem vel stellas ei proximas, sub quibus Hyperborei vivebant, sacros aut symbola Ecclesiæ vel Sacrae Scripturæ existimaverunt. Quid igitur de polo cælesti boreali scriptores antiquæ et mediæ ætatis senserint, præsertim sub specie fingendi facultatis, exquirendum esse videtur, qua de re nobis hac in dissertatiuncula aliqua aperire in animo est. Primum de stellis referemus.

Potioribus ex fontibus de re symbolica apud Christianos *Clavem*, quam Melitoni Sardensi (sæc. II A.D.) tribuunt, laudari oportet³. Auctor vero, quisquis fuit, huius opusculi (3, 28) Arcturum sanctam Ecclesiam significare dicit, propter sacramentum septem stellarum, quocum forsitan congruentiam innuit septem stellarum Vrsæ Minoris septemque sacramentorum, licet numerus septem sacramentorum tantum e XIII. sæculo constitutus esse videatur⁴. Similia apud Hrabani Mauri *Allegorias in Sacram Scripturam* (PL, 112, 862) invenimus, et idem auctor (*De universo*, 9, 13; PL, III, 272-3) in Arcturo, inquit, *qui per gyrum suum nocturna spatia non occasurus illustrat, nequaquam particulatim edita vita sanctorum, sed tota simul Ecclesia designari, quæ fatigione quidem patitur, nec tamen ad defectus proprii status inclinatur*. Peregrinus est quoque hic locus Aldhelmi (640-709 A.D.), qui Arcturum pro symbolo virtutis allegorice interpretatur (op. p. 72, 13 Ehwald⁵): *Nam arcturus Ripheis prælatus montibus, qui boreo aquilonalis poli cardine volvitur, qua Scibica regna horrendum incolunt barbariem, septiformi temonis et plaustri sidere signatur et quia numquam occasurus semper brumali circio copulatur propter vicinitatem axis, non immerito rigidam priscæ legis austeritatem allegoris enigmatibus præfigurat*.

Quæ omnia vero cum sententiis Homeri congruunt de stella quæ dicitur polus, ut Vitruvi (IX, 4, 6) utamur sermone⁶: in *Il.*, XVIII, 488-9, et *Od.*, V, 275, hanc stellam numquam in Oceano mergi dicitur, et astronomus Eudoxus s. IV. A.C. stellam, quæ semper in eodem loco manet, polum Vniversi esse dixit (fr. 11). Sed nunc difficultatem invenimus in eo, quod Arcturus, de quo *Clavis Melitonis*, Hrabanus Maurus Aldhelmusque referunt, nomen est stellæ α Bootis (e. g. apud Arati *Phænomenon*, 91 ss.), et sidus hoc non habet septem

stellas, quas ei *Clavis Melitonis* tribuit, neque ita prope cælesti polo sedem habet, ut semper adspici possit. Scriptores tamen, quos supra laudavimus, de Arcturo orationem faciunt quasi de stella quæ polus vocatur. Sed re vera iam ille Hesiodus de ortu Arcturi loquitur (*Opera et dies*, 565 ss.), et Columella, II, 3, 21, 2 ss., ortus Arcturi *circa sextum aut quintum Kalendas Martias* fieri dicit. Si autem hæc stella ortus habet occasusque, polum obtinere non potest. Sed indicium aliquod habemus de origine erroris, propter quem Arcturus quoque, sicut poli stella, numquam mergi cursusque navium regere iudicatus est, sc. apud L. Ampeli *Librum memorialem*, III, 1, 6. Et ille venerabilis Beda, in libro qui *De signis cæli* inscribitur, Helicen (quod nomen Aratus, in vv. 37 et 41, sideri dedit quod nos Vrsam Maiorem appellamus⁷) *Arcturum maiorem, Cynosuranque Arcturum minorem* vocat⁸. Ceterum hæc stella sæva signumque procellæ latinis scriptoribus visa est (cf. Horati *Carmina*, III, 1, 25-8; Plini *NH*, II, 106, 9, vel Columellam, XI, 2, 43, 8), sicut apud *Sacras Scripturas* (*Iob*, 37, 9-10: *et ab Arcturo frigus flante Deo concrescit gelu*). Et vim aliquam fortassis etiam habuit Sacram Scripturam, cuius symbolis *Clavis Melitonis* dicata est, Arcturum crebro delegisse pro vicario, ut ita dicamus, hemisphærii borealis: e. g. apud *Iob*, 9, 9, 1, sicut sanctus Athanasius animadvertisit (*Scholia in Iob e cod. Vat. Pii II*, p. 25, l. 17 ss.), e planetis Vesper, inter sidera zodiaci Pleiades, aliarumque demum stellarum Arcturus tantum laudati sunt, qua de re cf. quoque sancti Gregorii Nazanzeni *Epistulam theologicam* CI, 59, 5. Sed ad Hrabanum nostrum Maurum redeamus, cuius sententia Arcturus, *qui a plagiis frigoris nascitur, legem significat*⁹; *per Pleiades vero, inquit, quæ ab Oriente surgunt, testamenti novi gratia designari*. Quasi tamen ab Aquilone lex venerat, *quæ tanta subditos rigiditatis asperitate terrebat, dum pro culpis suis alios præcipiteret lapidibus obrui, alios gladii morte maltari*: *Pleiades vero, quæ ipse quoque (sicut superius diximus) septem sunt, testamenti novi gratiam tanto apertius indicant, quanto cuncti liquido cernimus* (*De universo*, 9, 13; PL, III, 272-3). Sed, quamquam Arcturus, Aldhelmi et Hrabani sententia, indicium severitatis esse legis videatur, tamen nos meminisse oportet Hrabanum Maurum eam stellam etiam pro signo Ecclesiæ iudicare. Beda autem (*Hexæm.*, 1; PL, 91, 43-4) et Hrabanus ipse Maurus (*De univ.*, 12, 3; PL, III, 334) paradisum terrestrem etiam imaginem Ecclesiæ arbitrati sunt¹⁰. Denique Hroswitha (*Lapsus et conversio Mariæ Neptis Habræ Heremicolæ*, II, 2 ss.) nomen Virginis Mariæ interpretatur *stella maris, circa quam videlicet fertur mundus et rotatur polus*, et quam numquam occidere,

sed navigantibus recti semitam itineris dirigere scribit.
Et hic procul a dubio de stella, nomine *polus*,
Hroswitha orationem facit.

Polum autem semper vidi posse iam antiqui animadverterunt (e. g. Diogenes Lærtius, II, 9, 3 ; Servius, *In Georg.*, I, 242), quam ob rem eum quodam modo sacram duxerunt, sicut mox dicemus. Eiusdem Hrabani Mauri opusculum *De universo* (9, 6 ; PL, III, 265 C-D) cardines mundi duo statuit, septemtrionem et meridiem, in quibus volvitur cælum. Hrabani quidem sententia, *significant cardines ipsi præsentis Ecclesie conversationem, quæ per totum orbem dilatantur, et in duobus testamentis, sive in duobus præceptis charitatis conversans, ad futuram patriam tendendo cursum præsentis vite dirigit. Vnde scriptum est : Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem* (cf. *I Reg.*, 2). Quo pacto axis mundi et poli cælestes (*cardines mundi*, ut recte dicamus) sacri existimabuntur, et huius rei iam vero ante Christum natum specimina quædam invenimus.


Seneca enim (*Hercules Cætæus*, 559) Iovem *sceptra gestantem poli laudat*, et Servius, *In Aen.*, II, 693, *sinistras*, inquit, *partes septentrionales esse augurum disciplina consentit, et ideo ex ipsa parte significiora esse fulmina, quoniam altiora et viciniora domicilio Iovis*. Ac, si græcas litteras spectamus, epigramma *Anthologiæ Græcæ* (XVI, 214) inveniemus, Cupidinem dominum poli commemorans. Multi apud nos valet Saturnum cum polo convenire, secundum in fabula legimus Senecæ adsignata, quæ *Octavia* inscribitur (v. 396), vel in epigrammate quodam Martialis (XII, 62), ubi *antiqui rex ... poli mundique prioris* (v. 1) Saturnus esse videtur, nam de eo hos versus auctor noster postea deducit :

*Sub quo pigra quies nec labor ullus erat,
Nec regale nimis fulmen nec fulmine digni,
Scissa nec ad Manes, sed sibi dives humus.*

Quæ omnia satis cum eis congruunt, quæ Hesiodus (*Opera et dies*, vv. 109 ss.), Tibullus (I, 3, 35-48) et Ovidius (*Metamorphoseon*, I, 89-112) de aurea cecinerunt ætate. De Saturno atque polo deinde orationem pergeamus ; at nunc iam animadvertere possumus verbum *poli* crebro pro *cælo* adhibitum esse (e. g. in Ps. Senecæ *Octaviæ* versu 396, sive apud Ovidi *Amores*, III, 8, 35), quæ de re breviter dicendum est.

Loci enim, quos supra laudavimus, iam propinquitatem notionum *poli* et *cæli* ostenderunt, qua de causa ita evenit, ut verbum *poli* sensu verbi *cæli* transferatur, quod Græce *metonymian* vocant. De hoc iam scholium ad Aristophanis *Aves*, v. 179, novos vero *polum* appella-

re dicit eum locum, ubi axis mundi terminum suum habeat ; veteres autem *polum* dicere id, quod omnia contineat, hoc est, *cælum*. Sed iam saeculo V A.C., Anaxagoras, fr. I DK, verbum *poli* adhibuisse videtur, ut medium superioris cæli significaret, etiamsi Ps. Æschylus in *Prometheo vincito*, vv. 428-30, eodem verbo usus est ut *cælum* significaret. Hanc *metonymian*, ut verbo utamur græco, apud Claudium quoque Ælianum (*De natura animalium*, II, 26, 5) vel apud Alexandrum (*Problemata*, II, 7, 4) invenimus, et in epigrammate demonstrativo CCCLX *Anthologiæ Græcæ Appendicis* de spatiis poli agitur, quocum verbum *poli* sensum *cæli* obtinere patet. Sed eadem ætate Imperii Romani Dio Cassius (*F Gr H* 3c, 707, F 4, 18) verbum *poli* adhibet, ad *polum cælestem borealem* designandum, sicut Euclides (*Phæn.*, proemium, 16 ss. et 64 ss.) et Cleomedes (p. 82, 12 Ziegler) fecerunt. Idem Cleomedes (pp. 62-72 Ziegler) et Dionysius Halicarnassensis (*Antiquitates romanæ*, XIV, 1, 1, 3) etiam hoc verbo usi sunt, ut *polum terrestrem* significant. Nunc litteras latinas respiciamus. Verbum *poli* sensu *cæli* iam apud Varro (*De lingua latina*, VII, 14) invenimus, et postea etiam apud Vergilium (*Aen.*, I, 90), Ovidium (*Fasti*, VI, 278), Lucanum (V, 424, inter alia) Senecam (*Medea*, v. 30) vel Ps. Hyginum Gromaticum (*Constitutio limitum*, p. 149). Sed Martialis, *De spectaculis*, 15, vv. 1-4, de arctoi arce poli loquitur, hoc est, de polo cælesti boreali. Sunt quidam loci, ubi *polus sensum sacram adeptus est*. Poëta epigrammati demonstrativi CCCXXVII *Anthologiæ Græcæ Appendicis* se dicit medium credere nitentis calcare poli, cum templum sanctum Virginis



Martianus Capella
(v. saec. p.C.n.),
De nuptiis Phœnologiae
et Mercurii.
Manuscriptum
XV. saeculi.

Mariæ videret. Hic verbum *poli cælum* significat, sed id, quod cum templo Sanctæ Mariæ Virginis componitur, medium est huius cæli. Et istius similitudinis cæli templique permulta sunt testimonia apud paganos christianosque : etiam terra Hyperboreorum adyton Apollinis erat (cui templum illic sacrum quoddam manebat, secundum Diodorum Siculum, II, 47), et translatio, propter quam cælum templum sit, apud Senecam (*Hercules furens*, v. 3), vel Dracontium (*De laudibus Dei*, I, 3-4) inveniri potest. Itaque sunt loci permulti, in quibus templa effigiem cæli referre existimantur (cf. Diodorum Siculum, XVIII, 27, 4, et *Anthologiae Græcae Appendicis* epigrammata demonstrativa CCCII, CCCIII, CCCV, CCCXII, CCCXXIII et CCCLXXXII). Præterea celsitudo cælorum eosdem sacros esse ostendit, et cælorum locus excelsus eminentissimusque polus cælestis borealis antiquis visus est, ad fidem testimoniorum Anaxagoræ, fr. I DK (cf. Diogenem Lærtium, II, 9) ; Arati, 19-27 ; Vitruvi, IX, I, 2-3, et Alexandri Aphrodisiensis (*Commentaria in Aristotelis Meteorologicorum*, p. 70 Hayduck). Alexander vero Aphrodisiensis partes, quæ ad Septemtriones vergunt, altiores esse credebat, quia veteres meteorologi Solem non sub Terram, sed circum eam ire censerent eamque partem Terræ altiore esse, qua de causa, eorum quidem sententia, Sol vidi desinat, cum hoc adveniat, et fiat nox. De altitudine poli cf. etiam Servium, *In Georg.*, I, 324.

Polus insuper cælestis semper adspici potest, et circum eum orbis se convertit¹¹ (cf. Eudoxi fr. II et 76 ; Ps. Eudoxi *Artis astronomicæ*, col. 6 ; Aristotelis *De cœlo*, 285b 9 ; Ps. Aristotelis *De mundo*, 391 b 19-392 a 1 ss.,



*Andreas Cellarius, Harmonia macroscopica,
Amstelodami, 1661.*

et Euclidis *Phænomena*, procœmion, l. 64). De hoc etiam Dionysius Halicarnassensis (*Antiquitates romanæ*, II, 5, 3) scribit ea, quæ ad septemtrionem vergunt, esse nobiliora, quia mundi axis extremus in septemtrionibus sedem habeat (cf. Servius, *In Aen.*, IV, 482) circumque eum orbis se convertat (cf. Frontini *De limitibus*, p. 12, l. 3-4), et de circulis, quibus sphæra cingatur, tantum is, quem *arcticum* vocent, semper adspici possit (cf. Vitruvium, IX, 5, 4).

Polum esse locum medium eminentissimumque in cælis Merobaudis quoque *Carmen*, I, 5-6 (s. V AD) canit, et secundum *Vitam Landiberti episcopi Traiectensis*, auctore Stephano, p. 386, 16 ss. Krusch-Levison¹² Deus arce poli residet. Aldhelmus, *De virginitate*, XL (p. 292, 9 Ehwald) Mariam Virginem *monarchum mundi*, *rectorem poli* suscipere meruisse dicit, et in eiusdem auctoris *Carmine de virginitate*, vv. 1.119 ss. polus sedes beatorum esse videtur : *Mox sator æternus, qui sanctos iure triumphat, / spicula tortorum confregit dira reorum ; / exin martirii sumpserunt serta cruenta / ad convexa poli migrantes culmina celsi*¹³. In *Miraculis Sancti Bononii abbatis Locediensis*, 10¹⁴, sanctus Bononius quoque *ex hac vita ad ineffabilem dolorum gloriam migravisse* refertur.

Sed in locis, quos modo laudavimus, verbum *poli* pro verbo *cæli* usurpat, et hoc quam maxime patet in *Vita vel passione Haimbrammi Episcopi et Martyris Ratisbonensis*, auctore Arbeone Episcopo Frisingensi, XXV, p. 498, 15-6 ss. Krusch¹⁵, quod opus sæculo VII A.D. conscriptum est. In eius libri recensione A, anima Haimbrammi exuta huius exilibus *alta poli* penetrasse dicitur ; sed in recensione B *alta cæli* legimus.

Hoc est *metonymia*, quam iam apud antiquos inveniebamus, et eius figuræ id causam esse credimus, quod cælum polusque excelsa sint, et polus cælestis borealis, secundum antiquam cosmographian, cælorum locus eminentissimus visus sit (cf. Aratum, 19 ss. ; Hygini, *Astr.*, I, 3, I, et Servium, *In Verg. Aen.*, I, 90).

Adhuc de polo sede beatorum apud paganos christianosque aliquid dicendum est. Antiqui enim polum sedem beatorum existimaverunt (e. g. Euripides, fr. 839

²Nauck et 911 Nauck ; Statius, *Silv.*, II, 7, vv. 107 ss. ; *Anthologiae Græcae Appendicis Epigrama sepulcrale* CCXLIX), sed his in locis *polus cælum* significare potest, nam cælum sedes esse beatorum iam sæculo V A.C. visum est (cf. *IG* editionem minorem, I, 945, v. 5 ; Euripidis *Helenam*, vv. 1.013-6, vel *Supplices*, vv. 531-6, et Platonis *Phædrum*, 249a-b et *Rempublicam*, 614b-d). Et in locis quibusdam, in quibus his de rebus antiqui scriptores locuti sunt, sedes beatorum excelsa esse

videtur : e. g. Cicero, in *Somnio Scipionis* (*De re p.*, VI, II), Scipionem facit Africanum Karthaginem ostendente *de excelso et pleno stellarum illustri et claro quodam loco*, et Diogenes Lærtius, VIII, 31, Pythagoreos dicit in excelsum credere animas adire sanctas.

In loco isto cælorum eminentissimo, sede Dei beatumque, scilicet *in arce poli* Rangerius quoque auctor *Vitæ Anselmi Lucensis episcopi*, vv. 5.703-4¹⁶, coetum angelicum laude triumphali cantare scripsit. Etiam tractatus *De musica disciplina*, ab Aureliano Reomensi (s. IX A.D.) conscriptus, angelos facit *Deo laudes more buiuscæ disciplinæ* (*sc. musicæ*) *in arce* referentes *siderea*¹⁷. Arx poli vel arx siderea polum cælestem borealem, locum cælorum eminentissimum, nostra quidem sententia significare possunt, et nunc nobis notandum angelorum concentum in hoc loco audiri, quod fortasse de nexus inter polum cælestem et harmoniam mundi orationem facere sinat.

Apud antiquos enim doctrina istius sphærarum musicæ¹⁸ cum ea coniuncta est, quæ lyram imaginem mundi facit¹⁹. Hac in lyra mundana plectri munere Sol fungi videtur, secundum poetam s. V A.C. Scythinum (fr. 1 West) vel philosophum Cleanthen (fr. 502 Von Arnim), a Clemente Alexandrino laudatum (*Strom.*, V, 8, 47, 6). Ibidem aliquos etiam dicit Clemens Alexandrinus plectrum appellavisse polum. Ceterum idem Scythinus, de quo supra diximus, Apollinem moderatorem lyræ istius mundanæ canebat (fr. 1 West), sicut orphicus hymnus XXXIV, vv. 16 ss., ubi Phœbus rector poli (id est *cælē*) laudatur. Ita etiam Plato, *Crat.*, 405c-d (cf. Procli *In Tim.*, III, 139), Socratem facit de etymo nominis Apollinis disserentem, ibique Apollinem poli, id est *cæli conversionis*²⁰ rectorem appellat.

De Apolline concentus siderum coryphæo Maximus Tyrius (s. II A.D.), in dissertatione sua XXXVII, 4-5, etiam orationem facit, ubi translaticio sermone Musæ cum astris, Apollo cum Sole²¹, Helicon cælis compunctiont²². Et, sicut Apollo choro, ut ita dicamus, sidero præterat, ita stellas duas Vrsæ Minoris *choreutas* Hyginus (*Astr.*, III, 1, 2) dici tradit, *quod circum polum versantur*. Nunc nobis animadvertisendum nomen Heliconis radicem nominis continere quo Græce Vrsa Maior vocabatur, hoc est « Helice » (saltem apud Aratum, 37 ; cf. 41 et Vitruvium, IX, 4, 5), quod nomen scholion ad Arati versum 35²³ a verbo pendere facit quod Græce dicitur ἐλίσσομαι, id est *converti*, propterea quod circa regionem, quam sidus hoc obtinet, orbis cælestis convertitur (cf. scholion in Aratum, 37-44). Hoc tamen non omnino verum esse videtur, quia cæli non circum Helicen, sed circum Cynosuran (cf.

Germanici *Aratea*, 45-6 ; schol. in Aratum, 37 ; Vettium Valentem, p. 13, 27 ss. Kroll, quamvis Lucanus, II, 237, de Helice loquitur) se convertunt. Nostris quidem tempestatibus²⁴ stella a Vrsæ Minoris polum obtinere videtur ; primo autem millennio A.C. re vera nulla stella sedem illic habebat (cf. Hipparchi *In Aratum et Eudoxum commentaria*, I, 4, 1). Auctores tamen alii alia dicunt : e. g., Hyginus (*Astr.*, III, 1, 2) stellam ε Vrsæ Minoris ; Vitruvius, IX, 4, 6, et idem Hyginus, *Astr.*, IV, 8, 2, stellam λ Draconis polum existimant, propterea quod polus re vera non semper in eodem loco manet, sed, æquinoctiorum præcessionis causa, in viginti quinque milia septingentis sexaginta quinque annis circulum facit cuius diametron 47° habet circum axem ad perpendiculum superficie, quæ eclipticam lineam continent.

Quæ omnia plane ostendunt res, de quibus loquimur, ad fingendi facultatis potius quam ad scientiæ historiam pertinere. Illuc igitur redeamus. Rebus astronomiæ quomodocumque se habentibus, res est magni momenti Pythagoran, ut Porphyrius (*Vita Pythagoræ*, 41) rettulit, Arctos appellare *manus Rhei*, quod forsitan cum illo congruit, eas nutrices esse Iovis inter sidera ab isto constitutas (secundum Aratum, 31 ss.)²⁵.

Itaque sic evenit ut Arctoi quoque aureæ ætati, eidem igitur generi divisorum pertineant ac Saturnus et Rhea, qui etiam poli esse domini videantur, sicut modo referemus.

Saturnus vero, ut eius nomine latino utamur, poli dominus existimatur e. g. a Ps. Seneca (in fabula *Octavia* inscribitur v. 396), atque a Martiali (XII, 62, 1), ut supra diximus. Proclus autem (*In Tim.*, III, 187, 30-188, 2) sententiam Iamblichi refert, ætheris excelsam plagam Saturno regendam esse, quod ad polum, locum cælorum eminentissimum, referri potest. Nam Saturnum in polo cælesti excogitari facile esse poterat, quia deus aureæ ætatis²⁶, id est, ætatis originum, laudaretur, et ille Aristoteles, *De spiritu*, 484b II, concedit ut polum originem rerum omnium existimemus.

Saturnus autem deus fuit aureæ ætatis²⁷, sub qua, etiamsi non recte primordia mundi stricto sensu (quæ in Nocte²⁸, secundum carmina Orpheo Musæo Epimenideque adscripta²⁹, vel ab Oceano³⁰ vel Chao³¹ veteres excogitaverunt), saltem primordia vitæ humanæ fuerunt. Etiam in commentariis quos in Platonis *Rem publicam* Proclus composit (II, 213 Kroll) polus Saturni symbolum declaratur.

Eodem loco dicit Proclus axem mundi signum esse aliquius deæ vitæ genitricis, quæ Rhea esse videtur, si scholio in Apollonii Rhodii *Argonautica* (I, 1.098) creditus. Hymnus insuper orphicus XXVII, Cybelæ dicatus,

in versibus 4 et ss., matrem deum hominumque omnium generum illustris laudat dominam poli sollique medii orbis, et Cybele eadem est ac Rhea, iam apud Lucretium, II, 598–643, præsertim vv. 611, et 629–639. Ceterum Rhea uxor Saturni est (cf. *Il.*, XV, 187; Hesiodi *Tb.*, 453 s.; Ps. Apollodorum, I, 4; Pausanian, VIII, 8, 2), et denique Proclus (*In primum Euclidis elementorum librum commentarii*, p. 90, 14 Friedl.) apud Pythagoreos polum existimari Rheæ sigillum declarat³². Ita etiam sigillum, quod universo mundo sit figuræ, Apollinis esse legimus in hymno orphico XXXIV, vv. 26, ubi numen idem (vv. 16 ss.), rectorem quoque poli laudabatur. Ac, si Proclus, ut supra aperuimus, axem mundi signum duxit deæ, quæ Rhea videbatur (*In R.*, II, 213 Kroll), in Apulei *Metamorphoseon* libro XI, 25, 10 ss., Lucius Isidem dicit rotare orbem, quod iterum ad axem mundi refert, eique sidera respondere.

Quæ omnia ad animam mundi fortasse referant, nam Plato enim, in *Phædro*, 245 c-e, animam principium esse motus dicit, et Servius (*In Æn.*, II, 512) axem existimat *spiritum, quo mundus movetur*. Quam ob rem nos in polo cælesti sedem suam habere animam mundi posse censemus (cf. etenim Servium, *In Georg.*, III, 351: *nam axis est septentrio*). Quæ mundi anima, secundum Platonis *Timæum*, 35b-36d, a demiurgo proportionibus musicæ harmoniæ instructa erat (cf. Gaudenti *Introductionem harmonicam*, II, pp. 340-1, præcipue p. 341, 12 ss. Jan). Multo postea sanctus Ambrosius Mediolanensis, cum de cantu angelorum, Dei laude, orationem facit (in suis *Enarrationibus in XII psalmos Davidicos*, apud PL, 14, 921-2), etiam mundi axem *quædam perpetui concentus suavitate convolvi* dicit, *ut sonus eius extremis terrarum partibus audiretur*. Soni igitur mundi axis, Sancti Ambrosii quidem sententia, in regionibus audiuntur quæ sub arce siderea iaceant, ubi angelorum cantus etiam auscultari possit, secundum Aurelianum Reomensem, *De musica disciplina*, I, 61 Gerbert, et Rangerium auctorem *Vitæ Anselmi Lucensis episcopi*, vv. 5.703-4³³, de quibus supra locuti sumus.

Et, quamvis non de polo cælesti neque de axi mundi loquatur, liber qui *Poimandres* apud *Corpus Hermeticum* inscribitur, de ascensione animarum per sphæras cælestis orationem facit, quarum totum *harmonian*³⁴ vocat, et cuius vi animæ a natura nudantur, quam a superioribus harmoniæ descendentes adeptæ sint (cf. *Poimandren*, 25-6). Atque, ubi in superiora huius harmoniæ post mortem redeunt animæ, illic cum præsentibus hymnos deo canunt (nam deus cantu gaudet, secundum fr. 23, 69 *Corporis Hermetici*). Quæ


nobis memoriam afferunt cantus angelorum qui in arce siderea audiantur (cf. Aurelianum Reomensem, *De musica disciplina*, I, 61 Gerbert, et Rangerium auctorem *Vitæ Anselmi Lucensis episcopi*, vv. 5.703-4³⁵).

Imagines notionesque, de quibus nunc loquimur, etiam in *Vetere Testamento* inveniri possunt: apud *Iob*, 37, 22, *ab aquilone legimus aurum venire et ad Deum formidolosam laudationem*, atque e *Psalmo* 148, 2-4 sive ex ipso *Iob*, 38, 7, Deum ab astris angelisque laudibus extolli scimus quæ musice canentur (cf. *Ps.*, 150, 3-5 et Clementis Alexandrini *Ecl.*, 8, 9, 1). His locis pro testimonio utentibus angeli nobis mundi harmonian concinere videntur, sicut apud Græcos sirenes de quibus Plato, R., 617b³⁶, loquitur, quæ etiam cum astris vel sphæris regionibus mundi cognationem habent, et quæ, sicut angeli, aligeræ sunt et canoræ.

Sunt autem arcana numina, Græce ὑγγες, notas quasdam cum angelis sirenibusque partientia, et quæ etiam cum polis nexus habent, sicut infra dicemus. De eis igitur nunc nobis disserendum. *Lynx torquilla* ales est³⁷, qua superstitione utebantur antiqui, ut amatores reciperent amissos³⁸. Ita etiam sensum *fascini* adeptum est id verbum³⁹, et apud neoplatonicos in plurali deos cuiusdam hierarchiæ significavit, ad gradum attinentis aliquem emanationis mundi (cf. Damascium, *De principiis*, vol. I, pp. 286 et 307). Hæc numina cognata sunt cum orbis regionibus, secundum *Oracula chaldaica*, 76 (apud Damascium, *In Parmenidem*, p. 59, 23 ss.), et idem Damascius ea dicit animas in excelsum allicere (*In Parmenidem*, p. 95, 11 et ss.), quæ omnia etiam de musis sirenibusque Plutarchus (*in Quæstionibus convivalibus*, IX, 14, 6, 2, 745 d 8-e 3) et Proclus (*in Tertio Hymno*, vv. 6-8) referunt. Hierarchiæ⁴⁰ quoque angelorum cum astris sive cælis cognationem quamdam habent (cf. *Asc. Jes.*, 7, 15, 19, 21, 29, 33; *Cyrillum Hierosolymitanum*, apud PG, 33, 704, et Cosmæ Indicopleustæ *Topographiam christianam*, 2, 84 et 97), et iustorum animas in paradisum ducunt (cf. *Lc.*, 16, 22). Testimonia sunt aliqua, ad quorum sententiam angeli cantando in cælum animas comitent (Sancti Gregorii Nazanzeni, *Carm.*, II, 280 ss., PG, 37, 991; Sancti Petri Chrysologi, *Sermo* 71, PL, 52, 530, et Sancti Gregorii Magni, *Dial.*, 4, 14 et 15, 1), ut sirenes, a Plutarcho laudatae⁴¹, faciebant. Verum angelorum cantus in comitandis animis non ad eas ducendas, sicut Plutarchi sirenæ, pertinere videtur, sed ad gaudium significandum de anima cuiusdam iusti, ante Deum procedenti (cf. Sancti Iohannis Chrysostomi *De sanctis martyribus*, 2, PG, 50, 710). Iyngas autem cantare, ad textuum fidem quos nos legerimus, non constat; at Proclus (*In Parmenidem*, I.199, 36, et *In Cratylum*, 71, 114) iyngas

entia inter Patrem et mundum definit, quod cum Sancti Gregorii Nazanzeni de angelis doctrina satis congruit, scilicet Deum lumen altissimum, alterum angelos, tertium hominem esse (*In sanctum baptismum oratio*, apud PG, 36, 364). Aligeri denique angeli passim apparent (iam apud *Ex.*, 25, 20), sicut sirenes (e. g., in vase quodam a Cyrene, s. VI A.C., quod convivium beatorum fingit⁴²), et aliae ad avium genus referunt, cui ὥγγες et spiritus quisque pertinent (nam omnis spiritus ales est, secundum Tertulliani *Apologeticum*, XXII). Aves insuper nuntii deorum antiquis videbantur (iam apud Homeri, *Il.*, XXIV, 292).

Philostratus autem, qui inter saecula II-III A.D. scripsit, sirenas cum figuris mesopotamicæ sculpturæ compo-
suit, quae, ad eius testimonium, iungas effingebant. Sirenes vero, sicut Apollo, divinatione fungebantur (*Od.*, XII, 189-91), et Pindarus (fr. 52 i Snell-Mæhler, vv. 63 ss.), cum de templo quodam Apollini sacro canit, id dicit ornatum esse figuris quas κηληδόνες Græce vocat, et quas antiqui easdem ac sirenas esse censebant⁴³. Philostratus autem, cum de eodem Apollinis templo orationem facit (VA, 6, II), verbo ὥγγες pro κηληδόνες utitur, quas ita dicit persuasio-
nem fascinumque adhibuisse ut sirenes. Atque in pala-



Robertus Fludd, *Utriusque cosmi... historia*,
Oppenheim, 1617.

tiis Babylonis describendis (VA, 1, 25), illic a tecto adserit curiae, quod cælum effingebat, iungas quatuor pendere et a magis linguas deorum appellari. Ceterum scriptores ætatis byzantinæ Michæl Psellos, in *Doctrinarum chaldaeorum brevi ac succincta expositio-^{ne}*⁴⁴, et Michæl Italicus, in epistula XVII⁴⁵, iungas numina chaldaica declarant. Hæc omnia ad Orientem vergunt, unde angelorum imagines notionesque a *Vetere Testamento* christiana doctrina (etiam mahometana) adepta est. Sed nunc maximi nostrum refert media polique omnium sphærarum symbola esse deum iungicorum, secundum Procli *In primum Euclidis Elementorum librum commentarios*, p. 91, 3 Friedl. Nimirum hæc indagatio nondum perfecta, sed iam nobis desinere necesse est. Nunc tantum ante dicta summis conclusa sententiis iterare conemur. Sicut apud paganos, ita etiam apud christianos cælestis poli borealis aliiquid sancti esse videtur. Cum enim pagani deos polo cælesti adiunxere, qui, sicut Saturnus sive Rhea, ad primordia rerum pertinerent, vel qui, sicut Apollo, harmonian mundi moderarentur, tum christiani sedem Dei eiusque angelorum polum esse cogitaverunt. Et, quamvis crebro verbum *poli* sensu *cæli* appareat, sunt tamen scriptores, qui e. g. stellam quæ dicitur polus pro symbolo Ecclesiæ, virtutis vel Mariæ Virginis interpretentur. Quæ omnia polum esse sacrum eorum sententia confirmant, ea de causa quod locus sit iste excelsus cælorum eminentissimus semperque adspici possit. ■

1. Acroasis facta in abbatia Ferigoletensi inter Ferias Latinas, mense Augusto anni 2000.

2. Cf. Melam, III, 36.

3. Cf. Laurant, J. P., 1988.

4. Vid. *Catholic Encyclopaedia*, s. v. « Sacraments », quam in Interrete (<http://www.newadvent.org/cathen/13295a.htm#IV>) inspeximus.

5. Ehwald, R. (ed.), 1919 : *Aldhelmi opera*, apud MGH, AA, tomum xv, Berolini, apud Weidmannos.


6. Cf. Ps. Eratosthenis *Cat.*, 2, et Hygini *Astronomian*, III, 1, 2.

7. Cf. quoque Vitruvium, IX, 4, 5 : *In septentrionali vero circulo due positiæ sunt Arctæ... E quibus minor Kυνόσουρα, maior Έλικη a græcis appellatur*; ita etiam Cic., *De nat. deor.*, II, 105; Hig., *Astr.*, II, 2, 1; Manilius, I, 296 ss.; et V, 696; Servius, *In Verg. Ge.*, I, 138, 19-20; scholion in Apollonium Rhodium, III, 745; schol. in Aratum, 35-37; Eustathius, *Ad Homeri Il.*, vol. IV, 223, et *Ad Hom. Od.*, vol. I, p. 215, l. 35-6.

8. Apud Maass, E., 1958, p. 582.

9. Cf. ALDHELMVS, op. p. 72,13 Ehwald.

10. Nam paradisus ultraterrenus ad sacri terreni ambitus exemplum effingi

Iohannes de Sacrobosco (XIII. saec.), *De sphaera mundi*

solet ; vide specimina quædam apud Widengren, G., 1945, p. 139 hispanicæ versionis.

11. Ipsum verbum græcum πόλος e radice deductus est quæ *converti, convolvi* significat, sicut Aristophanes (*Aves*, 182-3) dixit.

12. Krusch, B., et Levison, W. (edd.), 1913, apud MGH, *Scr. rer. merov.*, vi, Hannover Lipsiæque, Hahn.

13. Cf. eiusdem operis vv. 1.227, 1.881 et 2.861.2, et *Miracula Sancti Bononii abbatis Locediensis*, 10 (apud *Miracula Sancti Bononii abbatis Locediensis*, edd. G. Schwartz et A. Hofmeister, apud MGH, *Scr.* t. 30, partem II, fasc. 2, Lipsiæ, Hiersemann, 1929, pp. 1.023-33, demum p. 1.031, 36 ss.).

14. Vid. p. 1.031, 36 et ss. editionis Schwartz, G., et Hofmeister, A., 1929 : *Monumenta Germaniae Historica, Scriptorum tomus XXX, pars II, fasc. II*, Lipsiæ, Hiersemann, pp. 1.023-33.

15. Krusch, B. (ed.), 1902, apud MGH, *Scr. rer. merov.*, t. IV, Hannoveræ Lipsiæque, Hahn.

16. Vid. p. 1.275 editionis Sackur, E. ; Schwartz, G., et Schmeidler, B., 1929 : *Monumenta Germaniae Historica, Scriptorum tomus XXX, pars II, fasc. II*, Lipsiæ, Hiersemann, pp. 1.152-1.307.

17. Vid. p. 61 Gerbert.

18. De qua vid. Aristotelis librum *De cœlo*, 290 b 12-291 a 28.

19. Vid. Eratosthenis carmen Mercurio dicatum (fr. 15 Powell, 397 A *Supplementum Hellenisticum*), quod a Theone Smyrnæo (*Expositio rerum mathematicarum ad legendum Platonem utilium*, p. 142, 6-20 Hiller) novimus, et Alexandri Ephesii fr. 21 *Supplementi Hellenistici*, etiam a Theone Smyrnæo (pp. 138-9 Hiller) quoque laudatum.

20. Interest nostrum quodam modo Socratem nexum quærere inter res, quæ ad sonum musicamque attineant, verbumque *poli*, quod motum circularem valeat.

21. De quo amplius infra referemus.

22. Cf. Hesiodi *Theogonian*, vv. 1-8. Etiam Cithærona, Dionysi montem, Iohannis Lydus quasi cælum interpretatus est (*De mens.*, IV, 51), et iam ille Sophocles Dionysum siderum choregum appellavit (*Antigona*, 1.146-7).

23. Cf. Maass, E., 1958, p. 348, 2.

24. Cf. Soubiran, J., 1969, pp. 171-2.

25. Cf. Gundel, W., 1924, col. 39.

26. Quæ « Orph. », fr. 140 K, apud Procli *In R.*, II, 74, 26, sub Phanete posuit.

27. Cf. Hesiodi *Opera et dies*, III.

28. Alcman, fr. 162 Calame, Rhipæos montes, in quibus Hyperborei habitare

ducti sunt (cf. Hellanicum, fr. 187 b Jacoby), pectus Noctis esse dixit.

29. Cf. « Orph. », fr. 86 Kern, apud Hermiæ *In Platonis Phædrum commentaria* (ad 247 c), p. 148, 25 Couvr., et cf. Aristophanis *Aves*, 693 ; Musæi fr. 14 DK, apud Philodemi librum *De pietate*, 137, 5, p. 61 G. (Obbink non agnovit), et Epimenidis fr. 5 DK (= 3b 475 F 4a Jacoby), apud Damasci opus *De principiis*, I, 320 Ruelle. Sed iam Aristoteles (*Met.*, 1071b 27) sciebat theologos aliquos existimare a Nocte mundum cœpisse.

30. Iam apud Homeri *Il.*, XIV, 201 ; cf. etiam de aquis primordiorum « Orph. » fr. 15 Kern, a Platone ipso (*Crat.*, 402 b-c) translatum.

31. Cf. Hesiodi *Theogonian*, 116.

32. Cf. scholia in Euclidis *Elementa*, I, 1. Iam antea Pythagoran enarravimus Arctos *Rheæ manus* secundum Porphyrii *Vitam Pythagoræ*, 41, appellare.

33. Vid. p. 1.275 editionis Sackur, E. ; Schwartz, G., et Schmeidler, B., 1929 : *Monumenta Germaniae Historica, Scriptorum tomus XXX, pars II, fasc. II*, Lipsiæ, Hiersemann, pp. 1.152-1.307.

34. Quod Festugière sicut « armature des sphères » francogallice vertit ; sed verbum *harmonia* sensum, qui ad musicam attinet servare potest. Vita humana etiam a superioribus huius harmoniæ initium dicit, secundum *Poimandren*, 15 (cf. Plotinum, IV, 3, 12). Superiora autem harmoniæ fortasse polum celestem indicat.

35. Vid. p. 1.275 editionis Sackur, E. ; Schwartz, G., et Schmeidler, B., 1929 : *Monumenta Germaniae Historica, Scriptorum tomus XXX, pars II, fasc. II*, Lipsiæ, Hiersemann, pp. 1.152-1.307.

36. De communibus angelorum sirenumque vide acroasin nostram « Las sirenas pitagóricas y su trasfondo », quam a. d. IX Kal. Oct. MCMXIX in X Conventu Hispanico Studiorum Classicorum (in Compluti Vniversitate a. d. X Kal. Oct. usque a. d. VII Kal. Oct. MCMXIX celebrato) recitavimus.

37. Arist., *HA*, 504 a 12, et *PA*, 695 a 23 ; *Æl.*, *NA*, 6, 19.

38. Theoc., *Id.*, 2, 17.

39. Ar., *Lys.*, 1110, et Luc., *De domo*, 13, 6.

40. Quæ musis sirenenibusque deest.

41. In *Quæstionibus convivalibus*, IX, 14, 6, 2, 745 d 8-e 3.

42. In Musæo servatum qui francogallice Louvre dicitur ; cf. Weicker, G., 1909-1915, fig. 4.

43. Paus., X, 5, 12.

44. Vid. Des Places, É., 1971, pp. 185 et 189.

45. *Ibid.*, pp. 213-5.

APPENDIX

Conspectus operum

- ALDHELMVS, s. VII-VIII : *Opera*, ed. R. Ehwald, apud MGH, AA. tomum xv, Berolini, apud Weidmannos, 1919 (iterum editum, 1961).
- AVRELIANVS REOMENSIS, s. IX : *Musica disciplina*, ed. Gerbert, M., 1784 : *Scriptores ecclesiastici de musica sacra potissimum*, 3 vol., Sancti Blasii, Typis San-Blasianis (iterum ed., Hildesiæ, Olms, 1963), I, 27-63 (in Interrete, http://www.music.indiana.edu/tml/9th-11th/AURMUS_TEXT.html).
- BERNABÉ, A., 1998 : « La noche en las *Rapsodias órficas* », apud Rodríguez Adrados, F., et Martínez Díez, A. (edd.), 1998 : *Actas del IX congreso español de estudios clásicos* (Madrid, 27 al 30 de noviembre de 1995), vol. IV : Literatura griega, Matriti, Ediciones Clásicas, pp. 71-76.
- BOYANCÉ, P., 1941 : « La ‘doctrine d’Euthyphron’ dans le *Cratyle* », in *Revue des Études Grecques*, LIV, pp. 141-175.
- Corpus Hermeticum*, edd. Nock, A. D., et Festugière, A. J., Parisiis, Les Belles Lettres, 1945-1954.
- DES PLACES, É., 1971 : *Les oracles chaldéiques*, Parisiis, Les Belles Lettres.
- DICKS, D. R., 1970 : *Early Greek Astronomy to Aristotle*, Londini, Thames & Hudson.
- EISLER, R., 1910 : *Weltenmantel und Himmelszelt. Religionsgeschichtliche Untersuchungen zur Urgeschichte des antiken Weltbildes*, Monachi, Beck.
- ELIADE, M., 1949 (1980) : *Traité d'histoire des religions*, Parisiis, Payot, hispanice versus a Medinaveitia, A., 1981 : *Tratado de historia de las religiones: morfología y dialéctica de lo sagrado*, Matriti, Cristiandad.
- , 1957 : « Centre du monde, temple, maison », apud VV. AA., 1957 : *Le symbolisme cosmique des monuments religieux*, Romæ, Is. M. E. O., pp. 57-82.
- FASS, D. E., 1988 : « The Symbolic Uses of North », in *Judaism. A Quarterly Journal of Jewish Life and Thought*, 37, pp. 465-73.
- GUNDEL, W., 1924 : « Κυνόσουπα », apud RE, Stuttgardiæ, in ædibus editoriis Alfredi Druckenmüller, XII, I, coll. 37-41.
- HAMMERSTEIN, R., 1962 : *Die Musik der Engel*, Monachi, Francke.
- HOMMEL, H., 1943 : « Mikrokosmos », in Rh. Mus., N. F., 92, pp. 56-89 ; nunc in Gladigow, B. (ed.), 1976 : *Symbola. Kleine Schriften*, I, Hildesiæ, Olms, = *Collectanea*, 5 (1976), pp. 226-55.
- KLAUSER, Th., 1962 : « Engel in der Kunst », in RAC, Stuttgardiæ, Hiersemann, v, coll. 258-322.
- LAURANT, J. P., 1988 : *Symbolisme et Écriture. Le cardinal Pitra et la « Clef » de Méliton de Sardes*. Parisiis, Cerf. Pp. 263-336 editionem præbent Clavis, e ms. Claromontano.
- LE BŒUFFLE, A. (ed., fr. vert. et adn.), 1983 : *Hygin. L'Astronomie*. Parisiis, Les Belles Lettres.
- , 1989 : *Le ciel des romains*, Parisiis, De Boccard.
- LEEUW, G. van der, 1933 : *Phänomenologie der Religion*, Tubingæ, J. C. B. Mohr (hispanice ab E. de la Peña, ab E. C. Frost recognitus : *Fenomenología de la religión*, Mexici-in Bonis Auris, F. C. E., 1964).
- MAASS, E., 1958 : *Commentariorum in Aratum reliquiae*, Berolini, apud Weidmannos.
- MARTÍNEZ NIETO, R. B., 1998 : « ΠΟΡΟΣ : una divinidad cosmológica olvidada », apud Rodríguez Adrados, F., et Martínez Díez, A. (edd.), 1998 : *Actas del IX congreso español de estudios clásicos* (Madrid, 27 al 30 de noviembre de 1995), vol. IV : Literatura griega, Matriti, Ediciones Clásicas, pp. 229-233.
- MICHL, J., 1962 : « Engel », in RAC, Stuttgardiæ, Anton Hiersemann, v, coll. 53-258.
- Miracula Sancti Bononii abbatis Locedensis*, edd. G. Schwartz et A. Hofmeister, apud MGH, Scr., t. 30, partem II, fasc. 2, Lipsiæ, Hiersemann, 1929, pp. 1.023-33.
- MOLINA MORENO, F., 1995 : « La analogía entre la lira y el Universo, en el pensamiento antiguo », in « *Ætherea* » : *el mundo celeste en la Antigüedad. Actas del VII Coloquio de Estudiantes de Filología Clásica (Valdepeñas, 5-7 de julio de 1995) [= Universidad abierta. Revista de estudios superiores a distancia (publicaciones, serie R, núm. 15), 1995]*, pp. 157-168, edita.
- , 1998 : « Hacia el paraíso hiperbóreo », apud Gil, L. ; Martínez Pastor, M., und Aguilar, R. M^a (edd.), 1998 : *Corolla Complutensis in memoriam Josephi S. Lasso de la Vega contexta. Homenaje al Profesor José S. Lasso de la Vega*, Matriti, in ædibus editoriis Complutensibus, pp. 505-515.
- , 1998b : « *In Septentrionem, in Paradisum* ? La recuperación de un mito, en la Edad Media latina », apud Pérez González, M. (ed.), 1998 : *Actas del II Congreso Hispánico de Latín Medieval (León, 11-14 de noviembre de 1997)*, in Legione, a Ministerio de rebus editoriis Vniversitatis Legionensis, vol. II, pp. 679-686.
- , 1998c : « De septentrionis geographia fabulosa in fontibus antiquæ et mediae latinitatis », in *Romanobarbaricis*, 15, pp. 127-142.
- , 1998d : « *Somnium pythagoreum* : en torno a la armonía de las esferas », in *Actas del IX Congreso Español de Estudios Clásicos (Historia y arqueología)*, Matriti, Ediciones Clásicas, pp. 187-192 edita.
- , (edendum) : « De Hyperboreorum renascentia », a. d. XIII Kal. Sept. MCMXCVIII in Feriis Latinis Nicensibus aperta, nondum edita acroasis.
- , (edendum) : « Las Sirenas pitagóricas y su trasfondo », a. d. IX Kal. Oct. MCMXCIX in X Conventu Hispanico Studiorum Classicorum (in Compluti Vniversitate a. d. X Kal. Oct. usque a. d. VII Kal. Oct. MCMXCIX celebrato) recitata, nondum edita acroasis.
- , (edendum) : « La música del más allá », a. d. VI Kal. Febr. MM, in VII Seminario archæologiæ classicæ (in Vniversitatibus Complutensis Facultate Geographiæ et Historiæ) recitata oratio.
- , (edendum) : « Bilder des heiligen Nordens in der Antike, Patristik und Mittelalter », in Vniversitate Chilonensi Idibus Maiis MM recitata oratio.
- PALUMBO STRACCA, B. M., 1999 : « Harmonia mundi in *Orph. Hy.* 34 Quandt », in *Studi Italiani di Filologia Classica*, XVII, fasc. II, pp. 177-194.
- PFEIFFER, E., 1916 : *Studien zum antiken Sternglauben*, Lipsiæ-Berolini, Teubner.
- POIGNET, J. F., 1988 : « Visions médiévales de l'axe du monde », in *RHR*, 205, pp. 25-56.
- ROBERT, C., 1878 : *Eratosthenis Catasterismorum Reliquiae*, iterum ed., Berolini, apud Weidmannos, 1963.
- RÖLLIG, W., 1975 : « Weltentstehungslehren, Weltschöpfung », in *Der kleine Pauly*, Monachi, ab ædibus editoriis Alfredum Druckenmüller, v, coll. 1.363-1.366.
- SCHMIED-KOWARZIK, W., 1974 : *Frühe Sinnbilder des Kosmos*. Ratingen-Kastellaun-Dusseldorf, A. Henn.
- SEELIGER, 1924-37 : « Weltschöpfung, Weltbild », apud Roscher, W. H. (ed. †), 1924-37 : *Ausführliches Lexikon der griechischen und römischen Mythologie*,

Stuttgardia-Lipsiæ, Teubner, VI, coll. 430-505.

SOUBIRAN, J. (ed., fr. vert., adn.) : 1969 : *Vitrue. De l'architecture (livre IX)*. Parisii, Les Belles Lettres.

TAVARD, G., 1982 : « Engel, V : Kirchengeschichtlich », apud Krause, G. ; Müller, G., et al. (edd.), 1982 : *Theologische Realencyclopädie*, IX, Berolini Novi Eboraci, Walter de Gruyter, pp. 599-609.

VETTIVS VALENS, s. II AD : *Anthologiarum libri IX*, ed. Kroll, W., 1908 : *Vettii Valentis Anthologiarum libri*, Berolini, apud Weidmanns (iterum impressum 1973).

Vita Anselmi Lucensis episcopi auctore Rangerio, ed. E. Sackur, G. Schwarz et B. Schmeidler, apud MGH, Scr., t. 30, partem II, fasc. 2, Lipsiæ, Hiersemann, 1929, pp. 1.152-1.307.

Vita Landiberti Episcopi Traiectensis Auctore Stephano, ed. B. Krusch y W. Levison, MGH, Scr. rer. merou, t. 6, Hannoveræ-Lipsiæ, Hahn, 1913.

Vita vel Passio Haimbrammi Episcopi et Martyris Ratisbonensis, ed. de B. Krusch, en MGH, Scr. rer. merou, t. 4, Hannoveræ-Lipsiæ, Hahn, 1902.

WEICKER, G., 1909-1915 : « Seirenen », apud Roscher, W. H. (ed.), 1909-15 : *Ausführliches Lexicon der griechischen und römischen Mythologie*, Lipsiæ, Teubner (iterum impressum, Hildesia, G. Olms, 1965, coll. 601-639).

WIDENGREN, G., 1945 : *Religionens värld*, Stocolmiae, AB Verbum, germanica versio ab ipso auctore recognita et adacta : *Religionsphänomenologie*, Berolini, De Gruyter, 1969 ; ab A. Alemany hispanice versa : *Fenomenología de la religión*, Matriti, Cristiandad, 1976.

PRÆSENTIA LATINA



Lipsiæ a die 8 in diem 11 m. Martii habitus est hornotinus conventus Germanicæ consociationis philologiæ Hispanicæ. Doctor Axelius Schönberger, Privatus Docens in studiorum universitate Bremensi, tempore quo huius societatis secretarii munere fungebatur efficere valuit ut hac occasione nova sectio crearetur ad litteras neolatinas tractandas, quæ floruerunt in Portugallia, Hispania Italiaque a XV. saeculo exeunte usque ad XIX. saeculum.

Sic factum est ut in conventu tres acroases Latinæ pro-

ponerentur :

- « De Rusticatione Mexicana » ab Axilio Schönberger
- « De Petri Nunii Velii Abulensis operibus Latinis ad rem dialecticam philologiamque spectantibus » a Wolfgango Jenniges Lovaniensi et Iosepho Maria Sánchez Martín Salmanticensi
- « De litteraria expeditione per Pontificiam Dicionem ad dimetiendos duos meridiani gradus et corrigendam mappam geographicam » a Gaio Licoppe Bruxellensi. ■

In cellario « Auerbach » propter Iohannis Wolfgangi Goethe dotorem Faust celeberrimo grex Latine loquentium prandium sumit : a sinistra Iosephus M. Sánchez Martín, Gaius Licoppe, Francisca Derædt, Axelius Schönberger, Wolfgangus Jenniges.

LATINE CANVNT

- Alanus Van Dievoet, Anna Elissa Radke & Theodoricus Sacré -

DE MORTE MATRIS

Elegeia (*die 13 m. octobris a. 2000*)
pepigit Alanus Van Dievæt

Non te mors rapuit nobis, carissima mater,
Sed te perpetuo vita perennis habet.

Non te nigra tegit gelido sub marmore tellus,
Inter nos flentes, vivis et usque manes.

Perge tuo risu, lacrimas abstergere nostras
Atque piis precibus auxilio esse tuis.



AD MERULAM QUANDAM BRUXELLENSEM
ab Anna Elissa Radke scriptum d. 17 m. Febr. 2001

Poetria :
Ergo mane novo nova carmina dulcia cantas :
Quis clam nocte tibi talia dona dedit ?

Merula :
Hoc, peregrina, vetus carmen docuit mea Musa
Belgica. Bruxellis, hospes amica, cano !

Poetria :
Me dormisse procul patria recte admonuisti,
sed tamen hic et ubique Orphica lingua viget.

RESPONSUM
a Theodorico Sacré datum d. 19 m. Febr. 2001

Vilibus ista scatet merulis Bruxella, sed inde
promis olorinum suaveque canticulum !

BARONIS MYNCHVSANI PERICVLA

- a Nicolao Gross Latine conversa, nunc sunt in lucem edita -

Quod vos ignoravistis Comitem Przobofsky
Lituanensem, non valde dolendum est. Sed operaे
pretium fuit nosse eius praedium magnificum, præser-
tim eius equitum illustrissimum. Eius equi admissarii,
qui breviter appellabantur « Lituanii », aurum pretio
aequiperabant.


Aliquo die una cum comite theam bibebam, ille cum
nonnullis dominis iit in aulam, ut iis monstraret ali-
quem ex equis suis iuvenibus. Ego remansi in oœco
publico apud dominas, ut eas oblectarem narratiunculis
meis. Subito audivimus clamores terribiles. Ego per
scalas propere descendì in aulam, ubi equus tam effera-
tus calcitrabat, ut nemo auderet appropinquare, ne
dicam inscendere. Quod mihi fuit commodissimum.
Uno tantum saltu eius dorso insedi, brevi tantum tem-
pore transacto equus paruit tamquam agnulus. En
oportet scias equitare ! Nonnullis exercitiis factis cabal-
lum coegi, ut per aliquam fenestram apertam saliret in
œcum publicum indeque ipsam in mensam theanam,
in qua monstravi « levationem » et alias technas equi-
tandi scholæ altioris. Hæc omnia ab eculeo meo tam
apte facta sunt, ut dominabus moveretur admiratio. Ne
unus quidem catinus diffractus est. Comes autem tam
mirifice delectatus est, ut equum Lituanum mihi dono
daret : ad expeditionem Turcicam participandam, quam
ducturus erat Mynicus mariscalcus campestris. (...)

Eadem in expeditione cum obsideremus quandam
urbem - quæ fuerit, præ obsidionum numerositate non
recordor - Mynicus mariscalcus cupivit scire, quinam
esset status urbis. Sed fieri non potuit, ut aliquis per-
vaderet per tot stationes et fossas et ericos et cervos.
Evidem, qua eram audacia et studio officii tuendi, ali-
quantum præpropere me constitui iuxta unum ex can-
nonibus nostris maximis versus urbem positum. Hoc
ex cannone cum denuo globus emitteretur, ego rapidis-
sime insilui in eundem cum sibilo e tubo ejectum !
Volui enim globo in urbem volare ! Inter volatum
autem sibilantem exauctæ mihi sunt quædam sollicita-
tiones : Facile me intro venturum esse, cogitabam, sed



quomodo exiturus essem ? Fore, ut veste militari indu-
tus hostis cognosceret et proximo e patibulo suspende-
rer ! His rebus cognitis valde sollicitabar. Itaque, cum
globus cannonis Turcici castris nostris destinatus me
prætervolaret, translui ad eundem, ut, quamvis rebus
infectis, valido corpore et alaci animo redirem ad
husaros meos.... ■

*Baronis Mynchusani mirabilia itinera et pericula marina
terrestriaque* ab Erico KÄSTNER denuo narrata, a
Valthero TRIER undecim picturis multisque lineamen-
tis illustrata, a Nicolao GROSS in linguam Latinam
conversa, Bruxellis, ed. Melissa, 2001. Liber venumda-
tur apud Melissam ; pretium : 500 FB.



In hoc fasciculo !

Ad lectorem p. 1

De venenis brevis historia [G. Licoppe] p. 2

De re publica Adygeia [S. Kalegin] p. 5

De polo mystico [F. Molina Morenus] p. 6

De conventu Lipsiensi brevis nuntius p. 14

Musa Latina [A. Van Dievoet, A.E. Radke, Th. Sacré] p. 15

Baronis Mynchusani pericula Latine edita [N. Gross] p. 16



LATINE LOQVI...

SEMINARIVM LATINITATIS VIVAE

Seminaria Societatis Latinae sunt prima huius generis, quae inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P.C. Eichenseer, Latinitatis omnium aetatum vere peritus, et D.rix S. Albert, quae tirones delectabiliiter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit ac textus Latinos (sed plerumque humanisticos et posthumanisticos) legit, interpretatur atque de iisdem colloquia instituit. ¶ Duo seminaria anno 2001 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 22-28 m. Iulii a. 2001. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de) ¶ in Belgica in abbatia Maredsolana : 4-II m. Augusti a. 2001. Qui plura scire volunt scribant ad Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles, inscriptio electronica : guy.licoppe@pophost.eunet.be

FERIAE LATINAЕ

Media in Provincia, in abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, loco amoenissimo et quietissimo, a die 27 m. Iulii ad diem 3 m. Augusti fient feriae aestivae inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. Invitantur non solum professores et docentes et studentes, sed etiam tirones et homines cuiuscumque muneris, utpote qui cupiant, cum aliis sodalibus e variis nationibus oriundis, Latine sermocinari, studere, ludere, immo, vivere. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières, vel Clementem Desessard, Rés. des Collines, C9, 500, rue Léon Brun, F-06210 Mandelieu

SEMINARIVM OPOLIENSE

14-21 m. Iulii a. 2001 fiet in Silesia, in pulcherrimo castello quod continet Sanctuarium Sancti Hyacinthi et Centrum Scientificum Universitatis Opoliensis. Thema huius anni erit de Silesia imbuta humanismo Europae. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Ingam Pessarra-Grimm, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen, ipg@surfeu.de

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Permultis linguae Latinae cultoribus non solum Americae Septentrionalis regiones, verum alias etiam orbis terrarum partes habitantibus iam innotuerunt conventicula Latine loquentium, quae Lexingtoniae in civitate Kentukia quotannis celebrantur. ¶ Conventiculum anno bis millesimo primo a mensis Iulii die vicesimo usque ad tricesimum agitabitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM VASINTONIENSE

habebitur mense Iunio anni 2001 in urbe Vasintoniensi Wenatchee, cui nomen Latinum est Aquae Albae de die 23. mensis Iunii usque ad diem 1. Iulii. Moderabuntur Terentius Tunberg, Stephanus Berard et Iacobus Dobreff. Inprimis placebit huiusmodi conventiculum eis quibus cordi sint amoenitates locorum quique ament amice garrientes, linguae peritiam meliorrem facientes silvas montesque et alia loca rustica perlustrare. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Stephen A. Berard, Department of World Languages, Wenatchee Valley College, 1300 Fifth Street Wenatchee, WA 98801, sberard@wvcmail.ctc.edu

SEPTIMANA AMOENEBVRGENSIS

cuius thema est « Latine loqui - Romane coquere » habebitur a die 22 ad diem 28 m. Iulii a. 2001. Et discipuli et studiosi et magistri et alii invitantur ad exercendam loquelam Latinam et colendam rem coquinariam Romanam. Etiam instrumenta musica desiderantur ! ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Thomam Götzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen, Goelzhaeuserpost@hotmail.com